


DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE SPONSIONIBUS,

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,

Philos. & Medic. Doct. hujusque in Academia Lugd.-Batavâ Professoris celeberrimi.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis Juridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

HENRICUS MOLL, DORDRACO-BATAV.

A. D. 16 Martii, horâ ac loco solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

Venerabili & integerrimo Viro,

FRANCISCO CORNELII MOLL,
templi apud Dordracenos primarii, Custodi vigilantissimo, fidelissimo, avo optimo propter innumera in se Collata beneficia, omni observantiæ cultu, & filiali amore in æternum prosequendo.

NEC NON

Clarissimis & Celeberrimis Viris

D. ANTONIO MATTHÆO, J. U. D.
ejusdemque in Academia Lugduno-Batava Professori primario, Promotori suo dignissimo, semper colendo.

D. JOHANNI VOET, J. U. D.
ejusdemque facultatis in eadem illustri Academia, antecessori ordinario, subtilissimo, consultissimo, in studiis Juridicis adjutori suo meritissimo, nunquam non omni honore afficiendo,

Hasce theses inaugurales debita cum reverentia,

D. D. consecratque

HENRICUS MOLL,

Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
SPONSIONIBUS.

PROOEMIUM.

Si verum sit, quod prooemia aliquando nos lubentius, ad propositæ materiæ lectionem alliciant, majoremque intellectum præstent; non frustra hoc prooemio præmisso, possem dicere, me materias juridicas (quarum unam ex recepto in Academia More, pro Gra-

du Doctoratus Disputaturus, eligere necesse habui,) incerta mente diu spectasse, partim, quia Commodissimam mihi ex toto juris oceano excerpere non poteram; partim, quia paucæ, imo feræ nullæ supersunt, quæ jam dudum disputationi publicæ, non fuerint submissæ, adeo, ut illud Terentianum quidem verum sit. Quod nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius. Attamen quia pro laurea doctorali in utroque jure consequenda, aliqua mihi eligenda esset defendenda juris Materia, præ cæteris mihi arrisit hæc de Sponsionibus, *earumque effectibus, quas pro inaugurali hac disputatione breviter explicare proposui. Quæritis forsan cur hanc inter infinitas alias in me susceperim materiam pertractandam, de Sponsionibus, causam dicam & libere. Vidi passim* Sponsiones. *nullo facto discrimine, inter honestas & in honestas explodi, & velut injustas damnari, quod qnoniam aliquomodo iniquum videbatur;* D. D. *Affirmantium,* Sponsiones honestas *posse celebrari, Sententias secutus, breviter atque succincte conabor defendere,* Sponsiones *honestas nec juri divino, naturali, nec Civili repugnare; Adeoque eas impune procedere, rem itaque ipsam aggrediar.*

THE-

ponsiones quam quotidianæ frequentesque sint, nemo est qui ignorat. Verum antequam ad pertractandam ipsam materiam progrediar, non abs re fore judicavi primo in vim ac potestatem verbi inquirere. Est igitur sponsio mutua stipulatio conditionalis de re, cujus dubius est eventus; quamquam à DD. aliquando conventionis seu promissionis, aliquando conditionis nomine notetur. Quod etiam satis clare innuit locus ille *Cicer. in Oratione pro Cæcina. Cæcina enim de fundo vi armata dejectus fuit ab Ebutio, P. Dolabella prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi, hostibus armatis, sine ulla exceptione tantum, ut, unde dejecisset, restitueret; cæcina autem se plane restitutum esse negabat: facta est sponsio, ni cæcina restitutus Edicto prætoris esset.* exstat & alter locus apud *eundem, lib. 7. Epist. ad Trebat. Iurisconsultum & Plin. lib. 9. cap. 35. de sponsione Antonii & Cleopatræ.* Sed ne mihi Jurisconsultorum auctoritates deesse videantur, sciendum est *L. Titia, publicia & Cornelia sponsiones facere licuisse*; refero propterea *Pauli Iurisconsulti verba in l. solent. 2. §. 1. & Marciani, in l. in quibus 3. ff de aleat. Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.* Sequitur *Marcianus, in quibus rebus ex L. Titia, publicia & Cornelia etiam sponsionem facere licet. Sed ex aliis ubi pro virtute certamen non fit, non licet.* Extat & pulcherrimus locus *in l. 17. §. fin. ff. de præscript. verb.* sponsio etiam appellatur, quæ per sponsi

interrogationem fit, & omnis ſtipulatio promiſſioque. *Argum. l. 7. ff. de verb. ſignificat.* ſumitur & alio modo, pro eo, ubi hi qui à poteſtate ſumma Mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt quod illam proprie tangit, ad differentiam fœderis quod fit juſſu ſummæ poteſtatis, & in quo ipſe populus iræ divinæ obſtringitur, ſi minime ſtetur dictis. Grotius *lib. 2. cap. 15. §. 3. de I. B. ac P.* ubi citat Livium *lib. 9.*

I I.

Erant etiam judices ſponſionum, qui recuperatores appellabantur, ut ex *Cicer. in d. Orat. pro Cæcina apparet*, dum inquit; *Maxime fuit optandum Cæcinæ, recuperatores, ut controverſiæ nihil haberet.* Dicti forſan ex eo quod per eos ſuum quiſque jus recuperaret. Dabantur à Prætore, ut videre eſt ex Edicto ejus, apud Val. prob. in lib. de Not. Antiquit. cujus hæc ſunt verba; *quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo, teſtibuſque duntaxat decem denunciandi poteſtatem faciam.* Unde *Plautus*, *Bacchid. poſtquam quidem Prætor recuperatores dedit, damnatus demum vi coactus reddidit ducentos & mille Philippum*; hos Cicero plerumque cum judicibus conjungit. Inquiens in *d. Orat. ſi quis judex recuperatorve dicat.* Quanquam & illi, coram quibus minor viginti annis manumittens, juſtam manumiſſionis cauſam tenebatur approbare, recuperatorum Nomine etiam veniant. teſte Ulpiano *Tit. 1. de LL. Morib. & libert. §. 13.*

unde

unde & recuperatorium judicium ; Plinius *Lib.* 3. *Epist. penult.* Suetonius in Vespasian. *cap.* 3 solebant enim spondentes res quasdam apud recuperatores deponere , quas , commissa sponsione recuperatores victori adjudicabant.

I I I.

Sponsionum autem ex his quæ frequentantur tria sunt genera. Alterum quod depositis pignoribus fit penes tertium , de quo in *l. si gratuitum* 17. §. *ult. ff. de præscr. verb.* de quo sponsionis genere etiam Poëta in bucolicis sensit , dum ait ;

Depono , tu dic , Mecum quo pignore certes.

Alterum sponsionis genus interposita stipulatione , cum quis certam pecuniam promittebat , ni ita esset ut puta , Titius Stipulatus est à Seio , si qua mihi nupserit decem dotis Nomine dare spondes , restipulatur Sejus à Titio , si non nupserit decem dotis nomine dare spondes ? *Argum. l. à Titio* 108. *ff. de verb. oblig.* Item aliud , si rex Parthorum vivit , centum millia dare spondes ? De quo in *l. cum ad præsens.* 37. *ff. de reb. cred.* egregium etiam de hoc sponsionis genere exemplum reperitur Apud *Vali. Max. lib.* 2. *cap.* 8 de contentione super jure triumphandi , inter C. Luratium Cos. & Q. Valerium prætorem de deletione Pæ orum classis circa Ciciliam Tertium vero sponsionis genus est , cum alter ex contrahentibus alteri, finge, decem tradit , inter-

ter-

terposita Stipulatione vel pacto nudo, ni ita erit, duo tanta restituat, vel si inæquali Conditione fiat, tria, quatuor, aut sexcenta tanta reddat.

I V.

Nunc videndum quinam possint spondere & an sponsiones in omni causa facere liceat. Quoad primum statuendum est, spondere posse omnes qui stipulari ac pacisci queunt; Non tamen impuberes sine tutoris Auctoritate, *pr. Inst. de auct. tutor.* §. 9. 10. *Inst. de inut. Stipul.* ut nec prodigi *l.* 6. *ff. de verb. oblig.* cum effectu. non muti, surdi, nisi perservum. *l.* 1. *ff. eodem.* quoad secundum, videtur prima fronte tradita regula per Jurisconsultos in *l.* 2. *&* 3. *ff.* de *aleat. Ubi pro virtute certamen non fit, sponsiones fieri non licere. Si quis igitur hasta certet vel pilo jaciendo vel currendo, vel saliendo luctando vel pugnando, virtutis causa jure facit, & in pecuniam ludere his rebus potest, & sponsiones etiam facere; sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet.* Affirmandum tamen est cum Jurisconsulto *in l.* 17. §. *fin. ff. de præscript. verb. l.* 57. *l.* 63. *& d. l.* 108. *ff. de verb. obligat.* nec non *Argum. l.* 5. *ff. de Naut. fœnore.* in honesta causa sponsiones fieri licere, minime vero in inhonesta. Nec obstat *l.* 3. quibus rebus, supra citata *ff. de Aleat.* quæ omnes sponsiones hodie usitatas interturbare videtur, cum illa tantum loquatur de sponsionibus quæ fiunt, in lusibus & exercitiis illicitis.

V. Quo

V.

Quo etiam facit ratio naturæ, permittentis licitam honestamque animi oblectationem, concedentisque cuilibet rem suam, sub quacunque conditione etiam casuali alienare, ac quod sorti omni jure locus sit, nec quicquam vetet spem pretio emi. *Argum. l.* 8. §. 1. *ff. de contrah. empt.* eadem ratione etiam urna fortunæ pro licita habetur. Secundum *l.* 12. *ff. de Act. empt. & vend.* Accedit his sapientum consensus. Nam quomodo dicitur à Jurisconsultis *nihil esse tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.* §. 40. *Instit. de rer. divis.* eodem modo dicitur *nihil esse tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. l.* 1. *ff. de pactis.* Grotius *de Iur. Bell. ac Pac. lib.* 2. *cap.* 13. §. 1. denique & jure divino, sponsiones super subjecto honesto interpositæ non improbatæ inveniuntur. *Judicum cap.* 14. *versu* 17. ubi legimus sponsionem celebratam esse inter Schimschonem & ejus Sodales super Solutione ænigmatis intra septem dies explicandi.

VI.

Sed antequam ulterius progrediar, examinandum est quid sit honesta causa seu conditio, quæ in sponsione deducitur, & generaliter dicendum est,

 omnes

omnes turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti. *argum. l. 26. 27. in princ. & l. 129. ff. de verb. oblig. junct. l. 7. §. 16. ff. de pactis.* Nunc non alienum à propoſito erit, ad majorem materiæ dilucidationem aliqua exempla referre.

VII.

Ludunt Sempronius & Mævius alea, deponunt pignora quod alter altero majorem punctorum numerum jacturus ſit, vel quod denarium numerum egredietur vel non egredietur. Stipulatur Sempronius in ſumma, finge quatuor Aureorum, in eadem ſumma reſtipulatur Mævius. An rata ſit ſponſio quæritur? Reſpondendum hanc ſtipulationem non valere. *Argum. l. 17. §. 5. in fine. ff. de præſcript. verb. l. 2. & 3. ff. de Aleat. & l. fin. in princ. C. de Aleat. & alear. luſu*, cum ſit inhoneſta cauſa, ut ex *d. ll.* nec non ex teſtimonio Horatii *lib. 3. Carmin. Ode* 24. his verbis,

Seu Mavis vetita legibus alea,

apparet, quæ ſtipulationem ipſo jure nullam reddit §. 24. *Inſtit. de inut. ſtipulat.*

VIII. Fin-

Finge quod ludentibus Sempronio & Mævio, Antonius & Johannes, qui ludum inſpiciebant, ad ſponſionem venerint, depoſitis pignoribus, vel interpoſita ſtipulatione, alter quod Sempronius, alter quod Mævius vinceret. Idem credo reſpondendum, quod ſponſio nulla ſit. ut *in d. §. ſi quis ſponſionis fin. l. 17. ff. de præſcript. verb. apparet.* idque probari videtur *ex d. l. 3. ff. de aleat.* Quæ generaliter loquitur, unde generaliter eſt intelligenda. *argum. l. de pretio. 8. ff. de publ. in rem act. l. 1. §. 1. ff. de leg. præſt.* ſuadetur etiam ex eo, quod inſpicientes ludum, tanquam ludentes puniantur. *Auth. interdic. C. de Epiſ. & Cleric.* Unde etiam credo repeti poſſe quod ſolutum ſit, ex cauſa dictæ ſponſionis, tum propter comparationem proxime relatam, tum etiam propter *l. fin. ff. de aleat. & d. §. ſi quis ſponſionis.* Idque etiam probatur, in conſtitutione prædicta alearum, dum prohibens Imperator, & ludere & inſpicere, ſubdit, ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur & actionibus competentibus repetatur.

IX.

Subjicio etiam hic quotidianum illud & frequens exemplum, nonnulli luſores poſteaquam fere totam ſubſtantiam ludis prohibitis amiſere, pœnitentia duc-

cti, recipiunt viginti ab aliquo, & promittunt quinquaginta si in posterum luserint; quæritur an hujusmodi conventio valeat? respondeo quod sic, motus *argum. l. 121. §. 1. ff. de verb. obligat.* cum hæc stipulatio ex bonis moribus concepta fuerit. & *§. 7. l. 7. ff. de pactis. & l. 6. C. eodem.*

X.

Ulterius Titius sciens navim Sempronii appulisse, dissimulato eo, Gajum ejus rei penitus ignarum, super Navi Sempronii appulsura sponsione provocat, inæquali Conditione forsan, ut ipsum alliceret; facta est sponsio; vicit Titius, cujus erat certa victoria; dicendum quod in hoc Gajus circumscriptus est, ut sponsionem faceret, & propterea ex quo stipulatio intervenerat, juris subtilitate obstrictum, doli tamen exceptione uti posse, *arg l. 36. ff. de verb. obligat. & l. 5. C. de inut. stipulat.* nec non hoc, ne ullis malitia sua sit lucrosa. ut ait Jurisconsultus *in l. 1. in princ. ff. de dolo.*

XI.

Quæritur facta est sponsio inter Sempronium & Mævium, in luctando, currendo, saliendo vel hastam jaciendo, aut alio simili modo; Sempronius recusat ad certamen venire, an agere possit Mævius tan-

quam

quam vicerit? ſtatuendum quod ſic. *argum. l.* 85. §. *fin. ff. de verb. obligat. & l.* 12. *ff. de Act. empt. & vend. l.* 24 *ff. de cond. & demonſtrat. l.* 39. *ff. de R. I.*

XII.

Nunc videamus quid dicendum de illa ſponſione quod cras erit pluvia, vel non erit, item de illa, quod Imperator, ante Kalendas Majas in Italiam veniet, vel non veniet. de qua *in l.* 10. *ff. de verb. obligat.* Item quod Titius erit Senator Romanorum, vel non. *l.* 57. *& l.* 63. *ff. eodem.* cum enim hujuſmodi ſtipulationes non ſint turpes, & inhoneſtam cauſam non contineant, nihil cauſæ eſt quare non admittantur, idque *argum. l.* 7. §. 7. *ff. de pactis. & l.* 11. *in fine, juncta l. ſeqq. ff. de act. empt. & vend.*

XIII.

Quæro? ſunt qui crapula vel ebrietate delectantur, veniunt propterea ad ſponſionem, quod alter alterum in bibendo vel edendo ſuperabit, an rata ſit ſponſio? prima fronte, non improbandam ſponſionem videbatur, propter *l.* 4. *in princ. ff. de aleat.* quod tamen verum eſſe nego; quoniam in ſponſionibus illud præcipuum eſt, ut cauſa in ſponſione deducta inſpiciatur, an ſit honeſta nec ne. *l.* 17. §. *fin. ff. de præſcript. verb.* quod autem conditio de qua agi-

tur sit inhonesta, nullus est qui neget; & probatur *in c. crapula. X. de vita & honest. Cleric.* his verbis, *Vnde vinum sibi temperent & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur. Cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo obligant potatores: & ille judicium talium plus laudatur, qui plures inebriat & calices fœcundiores exhaurit.*

X I V.

Licet sponsionum præstationes veniant ex natura immutabilis justitiæ, quæ Deo & omnibus his qui ratione utuntur, suo modo Communis est. Grotius *de Iure Belli ac Pacis lib. 2. cap.* 11 §. 4. inveniuntur tamen plurimi, qui neglectis justitiæ præceptis, ad sponsionum præstationem actionibus competentibus compelli malunt, quam quidquid spondendo amiserunt sua sponte ac non coacti persolvere. Reliquum est ergo declarare, qua actione ex sponsione agendum sit. Actione ex sponsione agendum esse indicat Cicer. locus, in Orat, pro P. Quintio, quam Orationem habuit apud Cajum Aquilium nobilem Jurisconsultum & sponsionis Judicem. *Sponsionem*, inquit, *Quintius facere maluit fecit te Iudicem C. Aquili, sumpsit ex sponso egit, in hoc summa judicii, causaque consistit.*

Breviter tamen distinguendum puto inter sponsionum genera superius relat.

In primo sponsionis genere, si pignora fuerint deposita, penes tertium partibus præsentibus, directa præscriptis verbis, contra tertium, actio competit. Si vero partibus absentibus pignora fuerint deposita, utilis actio, præscriptis verbis, locum habet. depositum enim fuit pignus per dominum ea lege, ut si vincerem mihi daretur. *Argum. l. si cum venderet.* 13. *ff. de pign. act. juncta l. 26. ff. depos. in pr.* in secundo vero genere, clarissimi juris est, ex stipulatione duas proficisci actiones, tam condictionem certi, si certa fit stipulatio, quam ex stipulatu, si incerta; ut dicit Imperator *princ. Inst. de verb. oblig.* in tertio vero sponsionis genere, & ubi pacto nudo fit sponsio, statuendum est ut *in l. 6. C. de transact. & l. 5. §. 1. ff. de præscr. verb.*

F I N I S.

Ornatissimo, Doctissimo

Juveni, Viro

J. U. CANDIDATO

D. HENRICO MOLL,

Cum pro gradu Doctoratus

DE SPONSIONIBUS

cum Laude disputaret.

Nec qui divitias multo sudore paratas
Possidet, aut habitat prætiosa palatia Regum:
Aut Martis turbam fulgentiaque arma secutus
Innumeros hostes diro mucrone resolvit,
Atque catervatim cæsos ad Tartara misit,
Ille beatus erit: sed qui sine fine modoque
Nititur excelsum, Themidis, conscendere culmen
Cui bene sunt gemini perspecta volumina juris:
Hic est, qui Felix, & ab omni parte beatus
Dicitur; & socius Musarum, Laudis amicus
Cælicolas posthac divos numerabitur inter
Hos, MOLL, si sequeris, sociorum prime meorum
En! Facilem Pallas cursum concedit & auram.

In perpetuum perpetuæ
Amicitiæ.

Signum scripsit

S. G. V. G. H. G. S. L. Sc.